



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1869**

Prætermissi Et In Alios Dies Relati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70595)

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

- S**anctum Lucianum presbyterum Antiochenum et Martyrem hodie annuntiant Menæa et Menologium jussu Basilii imperatoris editum: illatus in Opus nostrum est ad diem vii Januarii. Belloacis civitate, Luciani Martyris legitur in Martyrologio Hieronymiano Richenoviensi contracto: indicatur ejus Translatio: colitur viii Januarii.
- Eodem die (xv Octobris) Translatio S. Gregorii Papæ habet Grevenus; Codex vero Altempsianus apud Sollerium: Ipso die translata sunt de Roma Sanctorum corpora Sebastiani et Gregorii. Sed quo? Opportune addit Florarium nostrum MS. ad urbem Suessionis anno salutis dcccxxxvi. Actum de hac Translatione est in Opere nostro ad dies illis sacros xx Januarii et xii Martii.
- B** SS. Sarbelium et Barbeam Martyres Edessæ variis diebus signant varii fasti ecclesiastici: hoc die Galesinius, Ferrarius in Catalogo SS. Generali, et Menæa. Actum vero de illis est ad diem xxix Januarii.
- S. Barse Confessor, episcopus Edessenus, Philone, Libyæ vico, annuntiat hodie a Castellano; in Fastis Græcis quibusdam hodie memoratus; de quo egimus ad diem xxx Januarii.
- In Prussia. S. Brunonis episcopi Ruthenorum et Martyris, inquit Menardus ad hunc diem; quo et Martyrologio Romano inscribitur. Multa de eo scribit Ademar in Chronico S. Eparchii apud Labbeum tom. II Bibliothecæ MSS. pag. 168 et seq.: nos vero in Opere nostro jam egimus ad diem xiv Februarii.
- S. Oswaldum episcopum Wigorniensem, deinde archiepiscopum Eboracensem, ad hunc diem refert Molanus; Vitam S. Oswaldi Wigornien-sis episcopi, et hanc Molani Annuntiationem discussam habes in Opere nostro ad diem xxix Februarii.
- C** S. Gregorius et Theophilus Patriarcha Alexandrinæ in Ægypto ecclesiæ xxiii antistes, anno 412 die xv Octobris defunctus, inseruntur hodie Calendario Coptico apud Jobum Ludolfum Commentarii in Historiam Æthiopicam a se scriptam pag. 395. Theophilus non legitur in Calendariis Copticis nostris MSS.; neque Ludolfianum istud Kalendarium nobis sufficit, ut eum cum Sancti Beative titulo Actis nostris inseramus. Gesta ejus, partim laude, partim reprehensione digna videsis apud Baronium in Annalibus, apud Sollerium in Patriarchis Alexandrinis, ubi a Sancti titulo illi tribuendo abstinet, ante tom. V Junii pag. \* 51. S. Gregorius colitur ix Martii.
- S. Wulfranni archiepiscopi Senonensis et Confessoris elevationem et translationem hodie signal Codex Usuardinus Centulensis apud Sollerium Vitam ejus illustravimus ad diem xx Martii.
- S. Georgii M. Translatio Tolosæ legitur hodie in Additionibus MSS. ad Usuardum Greveni anni 1521: consule Opus nostrum ad diem xxiii Aprilis.
- SS. Guillelmi et Peregrini Translatio Fogiæ in Italia signatur in hodierno SS. Elencho nostro MS. De hac, ut apparet, Translatione mentio facta est in Opere nostro ad diem xxvi Aprilis. Dedicacionem ecclesiæ Cathedralis Senogalliæ in ducatu Urbinate hodie memorat Ferrarius in Catalogo SS. Generali: nova Cathedralis, teste Coletio in Additionibus ad Ughellum Italiæ sacræ auctæ tom. II col. 886, S. Petro dicata est: Cathedralis vero antiqua, anno 1456 a Sigismundo Malatesta, Senogalliæ Domino, eversa, dicata fuit S. Paulino, urbis episcopo et Patrono, de quo egimus ad diem iv Maji. Niciæ in Provincia, S. Hospitii Conf. inquit hodie in Martyrologio Gallicano Saussayus. Actum de illo est in Opere nostro ad diem xxi Maji. **E**
- S. Quirinum hodie Zagabriæ, incolis Zogrob aut Sagrab, Germanis Agram, in Slavonia velut Confessorem adnotat Ferrarius in Catalogo SS. Generali ex Zagabriensis ecclesiæ Tabulis: ut ut id sese habeat, idem hic Sanctus est, fatente Ferrario, qui tamquam Ep. Martyr Scissæ in Martyrologium Romanum ac Opus nostrum ex Actis ejus antiquis illatus est ad diem iv Junii.
- Dedicatio ecclesiæ S. Medardi per Innocentium II occurrit hodie apud Castellanos in Supplemento: facta est anno 1130 hoc die, uti videre est tom. II Junii pag. 76 ad diem viii Junii.
- S. Etheldredæ Virginis memoria celebratur hoc die, adjecta oratione, in Excerptis nostris MSS. ex Breviario Aberdonensi: egimus de ea, ad diem, quo Romano Martyrologio inscribitur, xxiii Junii.
- S. Salvii Martyris gesta, cujus hodie translationem Valencensis Molanus annuntiat, dedimus ad diem xxvi Junii.
- Depositio Sanctorum presbyterorum et Confessorum Austricliani et Alpiniani ex lxxii discipulis Christi, inquit hoc die Florarium nostrum MS. Colitur hodie in Lemovicensi diœcesi S. Austriclianus, die xxvii Aprilis S. Alpinianus, uti in Calendario Breviarii Lemovicensis ecclesiæ anni mdcxxvi videre est. [Editio Usuardi Lubeco-Coloniensis et Grevenus ad hunc diem habent Lemovicensem Sanctum Austridinum, quem eundem cum alterutro Sancto putamus.] De his Sanctis egimus in S. Martiale ad diem xxx Junii.
- Dedicatio Superioris ecclesiæ signatur ad hunc diem in Supplemento. Officiorum propriorum ecclesiæ S. Victoris Massiliensis, apud nos exstante, sed prima pagina mutilo: Inferioris vero ecclesiæ dedicatio signatur die xxv Junii. Utraque omittitur in Officiis ejusdem ecclesiæ propriis anni 1662; ubi Dedicatio istius ecclesiæ unica affigitur die vii Julii.
- S. Margaritam Virginem hodie annuntiat Martyrologium Usuardi, anno 1521 Colonia excusum, Antiochiæ, quæ ut sæculi hujus pelagus evaderet, relicto sponso carnali, monasterium virorum ingressa Pelagii nomen assumpsit. Ubi in magna sanctitate

- A sanctitate vivens, monasterio Virginum praelata, de fornicatione falso accusata penitentiam egit, plenaque sanctitate quievit. *Nota est Margarita Virgo, sed Antiochiæ in Pisidia martyrium passa: nota item Reparata seu Marina Virgo, cui Elogium mox recitatum plane congruit; sed de cujus cultu haud nobis constat. De harum prima egimus ad diem* xx Julii.  
De altera ad diem xvii Julii.
- Tolosæ in Basilica S. Saturnini, Translatio beati Jacobi Apostoli, Zebedæi filii, inquit ad hunc diem Saussayus in Supplemento. De S. hujus Apostoli Reliquiis disputatum a nobis est ad diem xxv Julii.
- Quies S. Panthalemonis Nicomediensis notatur hodie in MS. Indice Martyrologii Coptici, ejus nempe, ut opinor, Martyris, qui in Opere nostro locum habet ad diem xxvii Julii.
- Certamen Sanctorum Martyrum Nazarii, Gervasii, Protasii et Celsi signatur hodie in Menologio Græcorum jussu Basilii imperatoris edito: nos de Nazario et Celso egimus ad xxviii Julii.  
De Gervasio et Protasio ad xix Junii.
- S. Martha ponitur hodie in Calendario Runico ab Olao Wormio edito: Martha, Servatoris hospita (si altera hic memoretur, nobis ignata est) relata est in Opus nostrum ad diem xxxix Julii.
- B Asculi in Piceno, consecratio majoris ecclesie, inquit Ferrarius in Catalogo SS. Generali: de illa actum est apud nos in S. Emygdio ejus ecclesie tutelari præside ad diem v Augusti.
- Transitus S. Justi in eremo episcopi Lugdunensis legitur hodie in Auctariis Bedæ: Acta ejus illustrata habes ad diem ii Septembris.
- S. Victurnianus festo annuo alicubi in diocesi Lemovicensi hodie colitur, sed festum inventionis ejus sacri corporis est, uti videre est in Opere nostro ad diem, quo de illo actum, xxx Septembris.
- S. Placidia, Valentiniani imperatoris, ut aiunt, filia, a Molano hoc die memoratur: egimus de ea ad diem xi Octobris.
- Fortunatus Papa, Fortunato Martyri Romano subjungitur in Additionibus ad Lucense Florentini Martyrologium; credimus indicari hic S. Fortunatum episcopum Tuleratinum, cui locus datus est supra ad diem xiv Octobris.
- SS. Agratum et Castulum veluti Viennenses in Gallia episcopos et Confessores inter Auctaria Usuardina apud Sollerium hodie memorat editio Lubeco-Coloniensis: de quibus egimus ad diem xiv Octobris.
- C SS. Gasparem, Mutium, Claudios duos, Ericium, Paulum, Julium, Vitalem, Martyres Severo imperante, aliosque plurimos exhibet nobis hodie Martyrologium Brixianum a D. Bernardino editum: verum non ea est hujus Martyrologii auctoritas, ut ex ejus fide Martyres illos, quorum etiam familias et cognomenta Faynus sibi nota existimat, Actis nostris inseramus; donec aliunde illorum Martyrium et cultus probetur.
- SS. Alexandri et Faustine MM. Romanorum Roma ex Cæmeterio S. Cyriacæ Thenas in Belgium fuisse translata corpora anno 1656, atque ibidem insigni pompa Dominica tertia seu Idibus Octobris fidelium venerationi expositas in templo PP. Minoritarum, accepta ad id anno 1654 ab Innocentio X facultate, discimus ex libello Flandrico anno 1656 typis H. Kempe Lovanii edito. Natalem horum Martyrum diem cæteraque ad eos spectantia ignoramus.
- SS. Oswaldum ep., Marcianum, Satirum, Confessores, et Candidum Martyrem una eademque annuntiatione exhibet Florarium nostrum MS. licet valde disparatos. De S. Oswaldo separatim hic mentio fit: cæteri, qui sint, quoque die colantur, divinabit, opinor, qui definire voluerit.
- Monachus quidam Anonymus, uti ad hunc diem Menæa perhibent, deserta, quam Superiori suo in solitudine Sceti exhibuerat aliquamdiu, obedientia, Alexandriæ captus, et, quod idolis sacrificare nollet, capite plecus est: cum vero in eo jam Christiani essent, ut eum, veluti Martyrem, sub altari tumularent, ac res divina fieret, sarcophagus inde absque cujuscumque manus adminiculo una cum Neophytis sponte recessit, donec, peracto Sacrificio, eodem rediit. Patefacta ab Angelo rei causa, accersitus Alexandriam Superior anathemate monachum solvit: quo facto, corpus ejus, quo statutum fuerat, loco honorifice sepultum, deinceps tranquille permansit. Res nobis apparet mirabilior, quam ut unica Menæorum auctoritate credi debeat, E aut Martyrem illum Anonymum in Acta nostra referendum arbitremur.
- S. Erkletus Martyr in Britannia Minori occurrit hodie in Codice Allemptiano apud Sollerium. Areletus Martyr in Calendario MS. sæculi xv abbatie S. Merenni, teste Lobineau ad calcem Vitarum SS. Armoricarum, una cum S. Conogano, Corisopitensi episcopo, infra dando, memoratur in hunc modum: Idibus, Conogani episcopi, viii Lect. Item Areleti Martyris, iv Lect. sed additur: De utroque omnia de Communi. Unde eum inter Sanctos incognitos referre laudatus mox Lobineau compulsus fuit: sed neque nobis quidpiam suppetit, unde de eo plura dicamus, alioguin, quin idem sit Erkletus, qui Areletus, viæ ambigentes.
- Eodem die Natale S. Savinæ legitur hodie in Auctariis Bedæ: at nihil nobis occurrit, quo illam ab aliis ejusdem nominis Sanctis mulieribus distinguamus.
- Caprasius Carmeli Prior (quem anno 450 die xv Bostius, xx Octobris, Palæonydorus defunctum scribit) jam bis inter Prætermisissos in Opus nostrum illatus est; primum ad diem secundum Junii, dein ad primum Julii. Caprasium alterum, nempe Lirinensem, jam dedimus ad diem i Junii: de illo cum Lezana Annalium Carm. tom. III ad annum 450 notamus: Hunc Caprasium titulo Sancti aliqui insigunt, ut sunt antiquum Mechliniense Calendarium, in quo xiii Kalendar. Novembris dicitur: « Caprasii abbas Prior. Carmelit. » Bostius et alii, quos non imitamur, decretis Apostolicæ Sedis morem debitum gerentes, donec majora suppetant fundamenta ejus sanctitatis.
- Speciosæ Virginis, inquit hodie Martyrologium Usuardinum Greveni anno 1521 Colonie excavatum; iisdem verbis, quibus illam annuntiat hesternæ die Florarium nostrum MS. Nihil quod iis, quæ de illa dicta hesternæ die in Prætermisissis sunt, adjiciamus, invenimus.
- S. Cuanum quemdam inter plures ejusdem nominis alios loco decimoquarto, cui diem xv Octobris adscribit, recenset Colganus in Actis SS. Hiberniæ ad diem 14 Februarii in Annotatis in S. Cuannam abbatem pag. 251 num. 2; ejus nominis Sanctos hactenus a Majoribus nostris inter Prætermisissos, quod sufficientem personarum, gestorum et cultus sacri legitime illis delati, notitia caruerint, repositos videmus: quod et nos facere compellimur, quod Cuani ad hunc diem

- 4
- A diem a Colgano memorati, nonnisi nudum nomen perspectum habeamus.
- S. Euthymium Monachum videre est ad hunc diem in Ephemeridibus Græco Moschis figuratis tom. I Maji præfixis; cui in Martyrologio Slavico-Russico a Domino Joanne Gabriele de Sparwensfeld Latine verso novi appellatio adjungitur: verum quis hic? Græcusne, an Ruthenus? An Martyr anonymus monachus, hodie in Menæis Magnis memoratis? An alius quispiam? Nihil ea de re certi, quod diceret, habuit Papebrochius, nihil Ignatius Kulczynski in Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ pag. 101, neque nos habemus. [Suspiciatur Jos. Simon. Assemani Kalend. Eccl. univ. tom. V pag. 302 hunc Euthymium eundem esse cum Thaumaturgo, de quo Nostri ad diem XVIII Aprilis egerunt.]
- S. Erembertam, alias Bertanam vel Hermembertam Virginem recenset Castellanus in Martyrologio Universali ad diem VIII Julii: Mabillonius Sec. III. Benedictino part. I in Annotatis in Vitam S. Vulmari abbatis Silviacensis prope Bononiam in Picardia, cujus neptis fuit, ait eam colî hac die. Remissa apud nos fuit a die VIII ad XX Julii, quo de S. Vulmaro agendum erat: tum vero ob Actorum et cultus notitiæ plenioris penuriam huc remissa: sed cum eadem et nos premamur penuria, cogimur illam et hoc die præterire, donec huc uberior alicunde affulgeat.
- Petrus abbas in Elencho nostro Sanctorum, qui Idibus Octobris coluntur, memoratus aliunde nobis ignotus est.
- Ratisbonæ, depositio sanctæ Aureliæ Virginis sanctimonialis reclusæ: ita Menardus ad hunc diem in Martyrologio Benedictino. Memoratur item in Calendario Dorgaini cum eodem titulo, ac Clotarii Franciæ regis, ab aliis vero Hugonis Capeti filia fuisse dicitur. Arnoldus Wion post lib. 5 Ligni Vitæ in Adjunctis pag. 900 illam confundit cum Aurelia, Argentorati hodie in Martyrologio Romano annuntiata, cui infra suus dabitur locus: interim sacri cultus Aureliæ Ratisponensi exhibitæ sufficientia non reperio, ut in Opus nostrum inferatur, indicia: licet sublimiore ac honorificentiore tumulo donatam fuisse legam in Mausoleo S. Emmerammi a Coelestino abbate Germanice scripto, pag. 109: immo, teste Radero tom. II Bavaricæ Sanctæ pag. 164 Wolfg. Selenderum, ex religioso S. Emmerammi S. Wenceslai in Bohemiæ Silesiæque confinio antistitem, cantante, instaurantur quotannis illi FUNEBRIA sacra apud sanctum Emmerammum jam ab annis quingentis octoginta novem (ab anno 1027) nunquam intermissa. Legit Raderum hoc loci Joannes Baptista ejusdem Cœnobii abbas, Coelestini continuator, et Radero non tantum non contradicit, sed et ipsemet neque Sanctæ, neque Beatæ titulum Aureliæ Ratisponæ sepultæ tribuit.
- B. Richwinus eremi Hemmerodensis Cœnobita in Germania et B. Elisabetha abbatissa in Hoven prope Tolbiacum in archidiocesi Coloniensi memorantur hodie in Menologio Cisterciensis Henriquezii; ubi et altera memoratur ejusdem nominis et Parthenonis abbatissa ad diem XXVII Augusti inter Prætermisissos relata. Cum Beati titulo signantur Richwinus et Elisabetha hodierna in Calendario Cisterciensis Sigismundi Alberti. Uterque omittitur a Chalemoto: nos utriusque cultum cupimus edoceri.
- Malcolmus Scotiæ rex hujus nominis III, S. Margaretae conjuc, hodie comparet in Menologio Scotico Dempsteri ex Molano, qui eum retulit in editionem primam Martyrologii Usuardini; omisit in editionibus reliquis: omisit quoque Castellanus: Papebrochius vero, Malcolmum S. Margaretae juncturus, si alicubi cultum ejus sufficienter probatum invenisset, ad diem x Junii, id facere non est ausus; neque porro nos, quibus explorator non est ejus cultus, quam Papebrochius, illi locum in Opere nostro concedere audemus.
- Dedicatio templi S. Mariæ apud Morinos a Milone Morinensi episcopo facta anno 1133 hodie signatur in Calendario Mariano P. Antonii Balinghem.
- BB. Bernardi Massæ in Tuscia, Michaelis a Corcano Comi in Insurbria, Antonii Sulmonensis in Pelignis, Christophori Plateani Valentiae in Hispania, et Brigittæ Gonzalez apud oppidem Veaz in Provincia Carthaginensi, Virginis Tertiaræ, meminit hoc die Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano: sed absque indicio cultus.
- SS. Succus, Cesa et x alii, Mireus, Aufridus, Saturninus, Nereus, } memorati hodie in Codice Hieronymiano Epternacensi seu Antverpiensi apud Florentinum spectare videntur ad diem xvi Octobris.
- Romæ, Passio S. Silvani Martyris et S. Fortunati signatur hodie in Beda aucto ante tom. II Martii. [De Fortunato inferius fit sermo; Silvanus vero ortusne sit ex Silvano qui xvi Octobris colitur, ambiguum est; mortis palæstra diversa saltem indicaretur, ut videri poterit ad xvi Octobris.]
- SS. Martianum, Satirum, Candidum, } Martyres, annuntiat hodie Florarium nostrum MS. Spectant ad diem xvi Octobris.
- Martyres trecenti sexaginta anonymi in Africa passi leguntur hodie in Viola Sanctorum. At in Martyrologio Romano SS. Saturnino et Nereo junguntur Socii Martyres trecenti sexaginta quinque absque palæstra: hos in persecutione Vandalica passos fuisse, quod in dictorum Martyrum Elogio ait violæ auctor, SS. Martiani et Saturniani Elogium illis applicans, Baronius in Annotatis nullius auctoritate probari asserit. Memorandi erant una cum SS. Saturnino et Nereo, in Viola omissis ad diem, quo de illis agetur, xvi Octobris.
- Bituricas, Ambrosii habet hodie Martyrologium Richenoviense: est S. Ambrosius ep. Cadurcensis, de quo agetur die xvi Octobris.
- S. Gallum Conf. hodie alicubi memorari notatum in SS. Elencho MS. nostro reperio. Pertinet is ad diem xvi Octobris.
- S. Bertrandum, Convenarum episcopum, hodie signant Saussayus in Martyrologio Gallicano, auctor Martyrologii Parisiensis, Bailletus in Vitis Sanctorum: Castellanus autem ad diem xvi Octobris; et quidem recte: nam, teste Simone de Peyronet, presbytero Tolosate, cujus ecclesiæ S. Bertrandus archidiaconus fuit, in Notis ad Onomasticum Sanctum Gallico-latini pag. 18, non solum in Breviario Tolosano notatur ejus festum ad diem xvi Octobris, sed eodem etiam die colitur in ecclesia propria: quo et mortuum testantur S. Episcopi Acta. Ad hunc item diem signatur in Officiis propriis ecclesiæ Tolosanae, anno 1647 jussu Caroli de Monchal, Tolosæ editis. Differimus itaque S. Bertrandum ad diem xvi Octobris.
- S. Regulus Conf. in Scotia, Prætermisissus in Opere nostro ad diem xxx Martii, uti et ad diem XXVIII Augusti





*Sebastianus Bouda del.*

*Lith. du Senat, Paris.*

*Erna Gore scul.*

S. TERESIA

ex effigie Abulæ conservata et signata a F. Joanne de la Miseria.

(Vide Riberam. l. iv. c. i.)

B Augusti insertus hodie signatur in MSS. *Excerpis Breviarii Aberdonensis, Codice † MSS. 167*: verum ea dies ejus cultui haud stabiliter videtur fuisse affixa; additur enim: Quando in Quadragesima de eo non fuerit servitium: imo ne hoc quidem casu; sequitur enim: Sed differatur in crastinum. Agi de eo poterit ad diem, quo ejus festum Adamus King, ut ibidem etiam notatur, Catalogus SS. Hiberniae MS. citato Codici insertus, Camerarius, Dempsterus alique signant, ac alibi forte constanter colitur,

xvii Octobris.

Eusebius presbyter num fuerit S. Reguli, qui S. Andreae reliquias ex Achaia in Scotiam attulisse fertur, socius, ut ad diem xxvii Aprilis Camerarius ait, ac cultu sacro gaudeat, examinari poterit, cum de S. Regulo agatur ad diem

xvii Octobris.

S. Hedwigem hodie Romanum Martyrologium his verbis annuntiat: Craecovia S. Hedwigis ducissae Poloniae, quae pauperum obsequio dedita etiam miraculis claruit, quam et clemens Papa Quartus numero Sanctorum adscripsit, et Innocentius Undecimus ejus festivitatem sexto decimo Kalendas Novembris celebrari iudicavit. *Hodie quidem illa migravit ad Superas; sed colitur, quo in Romano Martyrologio reperitur, nosque de ea, licet olim, Innocentio scilicet XI nondum Pontifice, in Opere nostro in Praetermissis ad diem xvii Martii hodie promissa sit, agemus ad diem*

xvii Octobris.

B S. Leopoldi Austriae Marchionis, tamquam hoc die culti, mentio fit in Opere nostro ad diem xv Februarii. Martyrologio Romano inscribitur ad diem

xv Novembris.

S. Maxentia Virgo in territorio Bellovacensi, tamquam hoc die quibusdam Calendariis inscripta, occurrit in MS. hujus diei Sanctorum Elencho nostro: natalem illi diem adscribit Saussayus in Supplemento, uti et Dempsterus in Menologio Scotico xxiv Octobris; Usuardus vero Greveni anni 1521,

xx Novembris.

S. Clementis Martyris Translatio, hodie facta anno 1849 refertur a Joanne Negro Lib. 2 cap. 3 post S. Juvenalis, Narviensis episcopi, Vitam: idem creditur, qui S. Clemens una cum S. Celso inscriptus Martyrologio Romano ad diem

xxi Novembris

[In Scotia S. Colmanni episcopi, habent hoc die Dempsterus in Menologio Scotico, et Martyrologium Tamactense; hos secutus est Ferrarius in Catalogo Sanctorum generali: memoratur etiam in Breviario Aberdonensi, adjecta oratione, qua ejus intercessio invocatur: optime igitur ejus cultus probatur. Sed quoniam multi sunt Sancti homonymi, Martyrologium Tamactense, inter Colmannos distinguens, dicit: Nativitas Colmanni filii Lenini. Festum ejus pleuraeque monumenta Hibernica rejiciunt ad diem

xxiv Novembris.]

In territorio Remensi, sancti Basoli Confessoris, inquit ad hunc diem Usuardus. Castellanus vero, qui hunc Sanctum ad diem xxvi Novembris memorat, ac saeculo vi adscribit, hodie ab hoc alium Martyrologio inserit: priorem vocat S. Basle, posteriorem S. Veule, quem saeculo viii adscribit et Latine Bosolum, caeterum Reclusum et in diecesi Trevirensi cultum dicit. *Hausisse videtur haec Castellanus ex Bernardo Guidonis, qui apud Labbeum tom. I Bibliothecae MSS. pag. 631 Sanctos Lemovicenses extra diecesim sepultos enumerans haec de S. Bosolo habet: S. Bosolus oriundus in montanis, veneratur in suo reclusorio, ubi nunc est, abbatia in diecesi Trevirensi, cujus legenda habetur. Festum ejus recolitur Idibus Octobris: verum pro Trevirensi legendum illic est Remensi: caetera enim omnia S. Bosolo in diecesi Remensi ab Usuardo annuntiato quadrant: S. vero Bosoli nullus apud Trevirenses cultus, Legenda nulla, nulla denique Abbatia. Nec credibile est Guidonem memorare voluisse Bosolum Trevirensis, aliunde ignotum, praeterisse autem Bosolum Remensem satis per Galliam celebrem, cujus Translationis festum hodie Remis olim agebatur, et de quo agendum erit ad diem, qua celebratur ejus depositio,*

xxvi Novembris.

S. Legadia vel Gaida Virgo occurrit hodie in Auctariis Bedae: suspicamur esse S. Leocadiam, cujus corpus, Saracenis in Hispaniam invadentibus, in Gallias delatum fuisse fertur, memoria vero in Martyrologio Romano signatur ad diem

ix Decembris.

S. Judoci Confessoris Translatio signatur hodie in MS. Elencho nostro Sanctorum ex Usuardo Carthusiae Bruacellensis. Colitur xiiii Decembris.

## DE S. FORTUNATO

## MARTYRE ROMÆ

## Ex Hieronymianis aliisque sacris Fastis.

J. B.

S. R. INCERT.

Hodiernum Sanctorum laterculum Martyrologium Romanum exorditur his verbis: Romae via Aurelia Sancti Fortunati Martyris. Usuardum et Adonem hoc loci Baronius laudat in suis ad Martyrologium Romanum Annotatis: recte quidem Usuardum, cujus apud Sollerium eadem, quae Martyrologii Romani, de S. Fortunato sunt verba: at minus recte Adonem, cujus testatus, purus scilicet, illum praeterit, Rosweydo Adonis editori, hac in re assentientibus Sollerio Tomus vii Octobris, Pars Prior.

[et Dominico Georgio, qui Adonianum Martyrologium postremus edidit anno 1745]. Usuardus porro, ut merito censet Sollerius, ex Hieronymiano quodam apographo S. Fortunatum hausit: quod vero Florentinus edidit, uti et Corbeiense apud eundem, non Fortunatum, sed Fortunatam habent ad hunc modum: Via Aurelia in cimiterio ejusdem Sancti Fortunati; quae quidem posterior lectio retinenda non videtur; quamvis enim duo apographa in hanc consonent, longe tamen

8 plura,